

MUM







1. Gothi /: Matth. / Epicedion in obitum  
Henrici Senioris Comitis in Solberg  
1583.
2. Cinglary /: Joh. / Epitaphis Comitis  
Wolfgangi in Solberg, 1582.
3. Kunner /: Joh. / Elegiarum Carmen  
de eterna deitatis nostri Jesu Christi  
cum patre et spiritu sancto  
divinitate, 1593.
4. Nemel Dis manibus Johannis  
Comitis in Solberg, 1612.
5. Vordij /: Balthas. / gratulatio  
in Liborio Helio, 1617.
6. gratulatio <sup>us</sup> nuptiarum Johannis  
Hoffmeisteri, 1620.



2

# EPITHEOSIS

INCLYTI AC GENEROSI DOMINI D. WVOLF=  
GANGI, COMITIS IN STOLBERGK, KO=  
nigstein, Rutzschfort, & Vuernigerode,  
Domini ad Epstein, Mintzeberg,  
Breyberg & Aegimont. &c.  
nuper ex hac vita ad  
cœlestem cons=  
fuetudinem  
euocati.

## A V T O R E

IOHANNE CINGLARIO.



ANNO *salutis*

M. D. LII.



EPITHEOSIS

INCLYTAE AC GERENSONI DOMINI B. WOLFF-  
GANGI COMITIS IN STOLBERG KÖ-  
niglichen Reichs-Verpflüchtete  
Domini ad Episcopium Minzberg  
Bischoffs & Reginont. etc.  
In hoc ex hac vita ac  
coelestem coram  
Iudicium  
EUCHARI.

AVTORE

IOHANNES CINGLIARIO



ANNO 1688 M. D. LXXXVIII





# EPITHEOSIS

INCLYTI AC GENEROSI DOMINI

D. Vuolffgangi Comitis in Stolberg &c.

**F**lebilis in comptos Elgecia solue capillos  
Verbaq; funestis tristia funde modis.  
Induc iam cultum ducendis luctibus aptum,  
Ac habitum mœsti temporis huius habe.  
Namq; uir excessit uitæ præsentis ab æuo,  
Qui pietate sua notus ad astra fuit.  
Quem procul Hercynia fleuerunt undiq; syluæ,  
Patria se longis qua trahit ora iugis.  
An tamen in miseros hæc restant tempora luctus  
Et saltem nostris fletibus apta manent?  
Tristia continuis tot funera uidimus annis,  
Et bona sustolli plurima mixta malis.  
Tot fortes animas belliq; togæq; peritas  
Aethereas auras linquere fata iubent.  
Quas celeri telo furor aut Mauortius haurit,  
Aut mors letali frigida peste capit.  
Nec modus est, nulli rigide uiolentia mortis,  
Parcit, in humanas imperat illa uices.  
Hæc nullo quoscunq; etiam discrimine manes  
Miscet, fatorum qua grauis ordo uocat.  
Hoc etiam fatis licuit, frangiq; Dearum  
Iura trium nulla conditione quæcunt.  
Occidit Hercyniæ Vuolffgangus gloria terre,  
Hinc Comes à magnis qui fuit ortus Auis.  
Qua Chalybes longis Germani iugera syluis  
Viuida gens quondam Martis ad arma, colunt.  
Stemma sui generis Proceres, ramosa leuantem  
Cum gemino Ceruum cornua pisce gerunt.

A 2 istius



Istius heu gentis decus hoc illustre peremptum,  
Inuida mors iustum sustulit ante diem.  
Occidit ingenuæ merito qui nomine uitæ  
Nestorcos annos uiuere dignus erat.  
Nec pietas illum, patriæ uel commoda uirtus,  
Gratia nec generis iuuat, & altus honos.  
Quin uicis hanc etiam sortem mortalis obiret,  
Ferret & humanæ conditionis onus.  
Ferre quod hic omnes, tandemq; subire necesse est,  
Qui gerimus fragili membra caduca pede.  
Hoc meruit nobis primorum culpa parentum,  
Qui sibi præscriptam non tenuere uiam.  
Ante Deum nocuo fuerant iam crimine lapsi,  
Mens erat admissi conscia facta sui.  
Diuinæ & pondus mox agnoscentibus iræ,  
Ante oculos fuerant mors, dolor, omne malum.  
Horrida mors longa sustentans membra ligone  
Prodibat, morbos, fata, metumq; trahens.  
Assiduè hæc illis obuersabatur imago  
Siue dies, somni seu leue tempus erat.  
Infandum ô quoties dum uoluunt pectore casum,  
In medio hæc illos lusit imago dic.  
Corporis ex umbris etiam præstigia formans,  
Hæc lateri uisa est semper adesse comes.  
Sumpsit ADAM rigidam fossurus rura bidentem  
A tergo simili mors stetit atra manu.  
EVA suum quoties tristis spectabat Adamum,  
Mors in conspectu mœsta dolentis erat.  
Seu faciem liquidis est contemplata sub undis,  
Mors simul ex ipsis pallida luxit aquis.  
Hinc etiam dubiæ semper præsentia mortis  
Nos manet, & uitæ est insidiosa comes.  
Hinc gerimus uarijs obnoxia corpora morbis,  
Mortale à prima matre sumusq; genus.

Omnibus



Omnibus est uita mors ultima meta gerenda,  
 Quemlibet hanc metam tangere fata iubent.  
 Hanc aliquis frustra fugiens transire laborat,  
 Usq; adeo certo fixa tenore manet.  
 Nec prolongando uita quoq; tollitur annis,  
 Tardius aut citius mors subeunda uenit.  
 Sed dolor est, terra peioribus usq; relictis,  
 Optima ad hanc primo tempore quaeq; rapi.  
 Pessima quim rapiat tantum, nobisq; relinquat,  
 Iam quibus haec grauius uita carere potest.  
 Ah secus hoc fieri iuste meritoq; dolemus,  
 Publica iam multis res caret orba bonis.  
 Sustulit o etiam decus hoc mors inuida nobis,  
 Vnde recens luctus surgit, et usq; dolor.  
 Occidit Hercyniae Vuolfgangus gloria terra,  
 Stolbergae ueteri de ditione Comes.  
 Quem pietas, uirtus, patria Respublica luget,  
 Vtterius uita non potuisse frui.  
 Qualis enim fuerat, quibus aut uirtutibus Heros,  
 Quam bonus in uita mitis et ille suus?  
 Primus ei pietatis amor cognatio astris,  
 Inq; Deum ueri cura timoris erat.  
 Mente Deum tota cupidus quaesuit, et omnem  
 Quo uelit ille suum nomen honore coli.  
 Firma suae capiens hinc fundamenta salutis,  
 Nil recta maius nouerat esse fide.  
 Eius nos solo reputari munere iustos,  
 Hac nobis caeli sponte patere fores.  
 Quae non ex alijs libuit cognoscere tantum,  
 Maius ei studium religionis erat.  
 Ipse etiam doctus scripturae, sedulo legit  
 Extant de sacra quae monumenta fide.  
 Insuper ut patrias eadem doctrina per oras,  
 Acciperet robur uiribus aucta suis.



Præfecit doctos propria in ditione ministros  
Qui uera instruerent religionis iter.  
Quos pius in primis animo complexus amico,  
In precio iustum duxit habere suo.  
Quin omnes celebris doctrinae nomine fouit,  
Dona, bonas artes qui didicere, Dei  
Illius in Musas fuit officiosa uoluntas  
Cognita, & Aonijs uatibus æquus amor.  
Hos quoq; muneribus, meritoq; ornauit honore,  
Officijs reddens præmia iusta pijs.  
Aonias etenim quoq; degustauit undas  
Primus ci in Musas inde manebat amor.  
Hauerat hinc Latia manantia flumina lingue,  
Nec tantum patria uoce disertus erat.  
Hoc experta fuit doctæ pars plurima turbae  
Congressus Latio cum quibus ore fuit.  
Ausus facundæ uirtute laceßere lingue  
Namq; erat Aonium sepius ille chorum.  
Nec tales animo penitus neglexerat artes  
Quæ monstrant grata cognitione Ducum.  
Noscere quas ingens uelut est in Principe uirtus,  
Sic nec ijs præsens uita carere potest.  
Voluerat historias, nobis studiosa uetustas  
Quas Latia aut patria uoce locuta dedit.  
Quæ res Militia gestas & pace recensent  
Siue domi, longo tempore, siue foris.  
Vnde uices norat rerum, & primordia mundi,  
Regna per ætates & uariata suas.  
Et memor ex illis generosa exempla legebat  
Qualia uirtutum uimq; decusq; iuuant  
Omnia quæ uita certos referebat ad usus,  
Inclita magnorum ceu simulachra Ducum.  
Quanta sit agnorat pugnante in Milite uirtus,  
Hostis in aduersi fortiter ire latus.

Qualcs



Quales Militiæ uis alta regenda per artes,  
Magnanimi officium quod decet esse Ducis.  
Tum quibus insistat florens Respublica neruis,  
Optima pacatæ quæ sit habena togæ.  
Hæc animo amplexus memori cum singula noisset  
Ad uitæ studuit ferre parata decus.  
Siue togæ quod onus, dubij seu Martis adesset,  
Certam consilijs hic sapiebat opem.  
Præcipuè patriæ cum noxia bella parari  
Viderat, hortator pacis & Autor erat.  
Promptior & mitis quamuis ad munus oliuæ  
Horrida constanter bella perosus erat  
Si tamen urgebat patriæ iactura salutis  
Vtilis ad Martis non minus arma fuit.  
Vtriusq; illi fuit alea cognita sortis  
Atride hinc poterat nomen habere Ducis  
Constantemq; animum casus infractus ad omnes  
Seruans, dissimilis non erat ille sui  
Fortis in aduersis, uento spirante secundo  
Lenis erat, iustum mente sequente modum.  
Omnibus & rebus norat moderatius uti,  
Degeneris luxus molle perosus opus.  
Quin aulæ curisq; uacans rebusq; gerendis  
Sollicitus patriæ nomine semper erat.  
Corporis ac animi nam tædia nulla uitabat,  
Dum studuit patriæ commoda ferre suæ.  
Sic oneris patiens fuerat, toleransq; laborum,  
Quæ laus magnanimi Principis esse solet.  
Adde quod hinc animo multum mansuetus in omnes  
Non minus & placido corde benignus erat.  
Iustitia in primis quoties poscebat & æquum  
Omnibus hic promptam ferre solebat opem.  
Nam decus Astreæ sanctè nomenq; colebat,  
Inq; uiri Nemesis pectore fortis erat.

Testis



Testis Hyperboreum qua tenditur usq; sub axem,  
Arctos latè terra propinqua polo.  
Nouit id in primis patriæ gens subdita terre,  
Quam tenuit placida sub ditione Comes.  
Iam benè gens illi tellus regnataq; luge  
Te decet ab propriam, flere, dolere, uicem.  
Vos quoq; non uirides iam luctum ducite syluæ,  
Nam iacet hoc etiam funere uester honos.  
Occidit Hercyniæ Vuolffgangus gloria terre,  
Qui pater & patriæ clarus Alumnus erat.  
Quiq; animo dignus proauit a nomine laudis,  
Ornabat propria nobile laude genus.  
Ergo nimis iusto iam flebilis Aulæ dolore,  
Hoc domino citius dedolet orba suo.  
Hæc quali subito turbata est patria luctu,  
Totaq; prælustri nobilis Aula domus.  
Cum modo uitalis generosam luminis auram  
Funderet hic Parca præcipiente Comes.  
Ipsi etiam uisi submittere cornua Cerui,  
Nigrius in domini funere stemma fuit.  
Hic uos Germano iunctos huic sanguine fratres  
Non minimus tetigit, clara propago, dolor.  
Cum foret hic generis numero sublatus Auiti,  
Ut ilius patriæ qui superesse queat.  
Ast qui turbauit defuncto coniuge luctus  
O generis sydus te Genouefa tui.  
Quæ tibi mens fuerat, cum pallida morte uideres  
Illius in gelido membra iacere toro.  
Vel cum supremo claudebat lumina ductu,  
Qui te legitimi fouit amore tori.  
Maximus hæc dolor est, quando uiolentia mortis  
Separat unanimi corda ligata fide.  
Hoc etiam fracti sibi consciuere dolore,  
Ante suum multi fata suprema diem.

Scd!



2

Sed fuit antiqui leuitas hæc temporis olim  
Quod caruit ueri cognitione Dei.  
Nos frenare alia quimus ratione dolores  
Sit procul à nobis Acthnicus iste furor.  
Nouimus ad finem uitæ melioris & usum.  
Mutari certa corpora nostra nece.  
Nos quoq; supremis non quidquam perdere fatis  
Quanquam disiuncti cogimur esse breui  
Nec quis fortuito putet hæc contingere casu  
Sed placidi nutum significare Dei.  
Pone modum lachrymis igitur generosa paterni  
Sanguinis, ah lachrymis foemina pone modum.  
Quid nimio teneros fletu corrumpis ocellos  
Formosas flendo parce rigare genas  
Quin potius propone tuæ solatia menti  
Te quibus à luctu mœsta leuare queas.  
Aspicc quid tanto deceat te stemmate natam,  
Alta mane, Heroum te genus esse memor.  
Seu tibi fert luctum pietas, seu candida uirtus,  
Ardua tangebatur uir quibus astra tuus  
Maius, at infido quod non percepit in orbe,  
Iam pretium in coelis eius & huius habet.  
Seu flet integros annos animiq; uigorem  
Corporis & subito tam potuisse premi.  
Hæc etiam quouis res interitura momento  
Cras, si non hodie, forte casura fuit.  
Ast citius caro saltem uiduata marito  
Amisso thalami dulcis amore doles?  
Ille quidem iustus dolor est, hoc nomine tantum  
Vel satis alta tuus pondera luctus habet.  
Nè tamen inuideas requiem coelumq; tenenti  
Accessit uiua quod prior ille fide.  
Nunc ubi gauisus melioris origine uitæ  
A te aliqua saltem coepit abesse mota

B

Post




Post quam letitia & uero plaudentia motu  
Vestra, sed aeternus pectora iunget amor.  
Cum uolet illa dies (seris tibi quæ cadat annis)  
In nos quæ uitæ iura necisq; tenet.  
Illius aspectu grauius licet ergo carceris  
Ast minuet luctus spes tamen ista tuos.  
Hic uos quid iubeam quoq; tantos ponere luctus,  
Heroes, celebris nomina clara domus?  
Consilij in uobis satis est, iam docta tenetis  
Pectora & ad sortis quem libet alta uicem  
Quid deceat mentes generosis mentibus ortos  
Cernitis, & ueri conscia corda Dei.  
Iam gerit aeternæ Germanus sceptrâ salutis,  
At uos hic patriæ sceptrâ tenete diu  
Vos modo foelices traducite longius annos  
Vestra stet inuicta posteritate domus.  
Hercyniæ moestum iam luctum ponite syluæ  
Iam patrium turbet nulla quærcia solum.  
Cessit ab humanis rebus, non occidit Heros,  
Sed uerum uita uiuit habente decus.  
Maeste fide Vuolffgange uale, dignissime coelo  
Gaudia nunc animi recta beatus age  
Nos hic nulla tuæ capient obliuia laudis,  
Virtutis nescit fama perire tuæ.  
Gente sed in patria generosa manebit imago  
Letus & à domini laude Cheruscus erit.

ERPHVRDIAE,  
APVD RELICTAM MELCHIE  
ORIS SAXONIS.











AB 154327

Yo-31.

ULB Halle  
004 052 900

3



f

R

Vb 17


Sb.











# EPITHEOSIS

INCLYTI AC GENEROSI DOMINI D. WOLF=  
GANGI, COMITIS IN STOLBERGK, KO=  
nigstein, Rutzschfort, & Vuernigerode,  
Domini ad Epstein, Mintzeberg,  
Breyberg & Aegimont. &c.  
nuper ex hac vita ad  
cœlestem cons  
uetudinem  
euocati.

## A V T O R E

IOHANNE CINGLARIO.



ANNO salutis

M. D. LII.

